ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

An. et Vol. CV

TYPIS VATICANIS
MMXIII

An. et vol. CV 4 Ianuarii 2013 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE DECRETALES

I

Quibus Beato Aloisio Guanella Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Domine, hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; (...) Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum et ambula » (*Io* 5, 7-8).

Beatus Aloisius Guanella ibi continue adstare conatus est ubi vocem audiebat pauperis eique auxilium offerre poterat. Hunc animi sensum ab infantia coluerat, postea annis Seminarii ac postea per totam vitam sacerdotalem. Anima eius die Primae Communionis signata est, cum in oratione censuit contemplari Beatam Mariam Virginem monstrantem illi turbam pauperum quibus ipsemet auxilium esset laturus. Hoc misericordiae Divinae signum usque ad postremos vitae annos comitatum est eum.

Beatus Aloisius Guanella in loco vulgo *Fraciscio*, ex parte municipii vulgo *Campodolcino* dioecesis Comensis, die XIX mensis Decembris anno MDCCCXLII est ortus. A parentibus didicit non solum cotidianam rosarii recitationem, sed etiam vitae sanctorum lectionem, quae totam per vitam apostolicum eius opus insignivit. Adulescens studiorum accepit pensionem atque Collegium frequentavit vulgo *Gallio* ex Ordine Clericorum Regularium a Somascha et,

deinde, Seminarium dioecesanum Comense, ubi die XXVI mensis Maii anno MDCCCLXVI sacerdos est ordinatus. In sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi primam celebravit Missam in loco vulgo *Prosto di Piuro in Val Chiavenna*, ubi per unius anni spatium permansit munus alterius a parocho exercens. Sequenti anno parochus nominatus est in loco vulgo *Savogno*, in parva videlicet paroecia in montis clivo posita. Septem annis sui diligentis ministerii Ioannem Bosco noverat et quosdam patres Congregationis Fratrum a S. Iosepho Benedicto Cottolengo Augustae Taurinorum. Austeriorem appetens religiosam vitam, anno MDCCCLXXV, de Episcopi consensu, in Institutum Ioannis Bosco se contulit, religiosa nuncupans in Societate S. Francisci Salesii vota, in qua magni momenti munera obiit, uti Rectoris Seminarii «vocationum adultorum». Post triennium, Episcopus Comensis Aloisium Guanella in dioecesim revocavit, quo rediit institutionem condere cupiens ad infantes egentes colligendos. Scholam aperuit quam tamen, ob hostilitatem auctoritatum publicarum, claudere debuit. «Hora misericordiae», uti presbyter Guanella tempus singularis gratiae Divinae appellare solebat, venit, cum Episcopus suasit ei ut paroeciam in loco vulgo *Pianello Lario* peteret, ubi coetus ortus est puellarum ad egentes iuvandos. Hic coetus originem dedit novae Congregationi Filiarum a Sancta Maria Providentiae. Zelus et apostolica caritas beati Aloisii beneficam auxerunt operam adeo ut operositatem ad ipsam urbem Comensem extendere possent. Hic initium habuit Domus Divinae Providentiae, quae postea Domus Mater facta est duarum Congregationum: femininae et masculinae. Prima missio a iuveni sorore Clara Bosatta dirigebatur. Illa angularis exstitit lapis novae femininae operae; duos post annos obiit et a beato Ioanne Paulo II, Decessore Nostro, die XXI mensis Aprilis anno MCMXCI in Beatorum album est relata. Inter proposita primae Missae Aloisius Guanella scripsit: «Volo gladius esse ignis in sancto ministerio, sal spargendum ubicumque Providentia velit». Comi beatus Guanella validum invenit fulcrum ex parte Episcopi Andreae Caroli Ferrari, qui Archiepiscopus postea sedem tenuit Mediolanensem et a beato Ioanne Paulo II beatus est declaratus. Maximum Aloisius inceptum suscepit purgandi palustrem locum ad fauces fluminis Adduae qui dicitur *Pian di Spagna*. Adiuvantibus «bonis filiis», sicut sacerdos Guanella infirmos vocare solebat, nasci potuit novus locus vulgo *Nuova Olonio San Salvatore*. Hic beatus sanctuarium exstruxit Beatae Mariae Virgini ab Opere dicatum. Simul cum pauperibus numerus etiam crevit illorum qui eos auxilio et amore prosequebantur. Anno MDCCCXCVII Statutum Filiarum a Sancta Maria Providentiae composuit. Apud

Congregationem femininam, sacerdos Guanella coetum etiam sacerdotum congregavit, quos Servos Caritatis appellavit, quibuscum vota religiosa perpetua die XXIV mensis Martii anno MCMVIII nuncupavit. «Cessare non licet donec pauperes adsint quibus subveniendum est» — sacerdos Guanella dicere consuescebat per loca illa peregrinans in quibus paupertatis signa clarius advertebantur. Sic duae religiosae Congregationes per varias Italiae regiones propere sunt diffusae, sicut etiam per proximam Confoederationem Helveticam. Anno MCMIV beatus Aloisius Guanella Romam venit ubi Servi Caritatis domicilium prope Montem Malum constituerunt, coloniam gerentes agrariam. Summus Pontifex sanctus Pius X magnitudinem intellexit animi sacerdotis Guanella, quem aestimabat cuique in regione vulgo *Trionfale* munus concredidit ecclesiam Transitui sancti Ioseph dicatam exstruendi. Beatus Aloisius praeter paroeciam fundavit etiam Piam Unionem Transitus Sancti Ioseph, associationem videlicet ad orandum pro morientibus, cuius sanctus Pius X uti primus sodalis inscribi voluit. Associatio celeriter se diffudit atque paucis mensibus plures contigit Nationes. Zelus missionarius, quo Aloisius Guanella nutriebatur, compulit eum ut, iam septuagenarius, mense Decembri anno MCMXII Foederatas Civitates Americae Septentrionalis adiret ad auxilium migrantibus in difficultatibus versantibus ferendum et rationem laboris sororum ordinandam. Deinde mense Ianuario anno MCMXV ipsemet illis auxilium praestitit qui Aprutii motu terrae sunt concussi. In illa regione simul cum eo sacerdos Aurelius Bacciarini operatus est, deinde Episcopus, a Nobismet Ipsis Venerabilis Dei Servus declaratus. Ob senectutem, ob participationem Italiae in primo bello mundiali, ob laborem aliquot confratrum in fronte aciei, valetudo corruit beati Aloisii, qui die XXVII mensis Septembris anno MCMXV paralysi est correptus Domi Matris Comensi in urbe. Sacerdos Orione statim adiit eum atque suo in diario scripsit: «Ille manum meam tenens dixit: in caelo nos videbimus». Die XXII mensis Octobris postremo accepit Sanctam Eucharistiam e manibus Venerabilis Servi Dei Aurelii Bacciarini, Vicarii generalis Operis, atque Sacramento unctionis infirmorum est refectus. Suis in memoriis scripsit: «Mors est sicut mater quae filium amplectitur (...), est angelus qui nos ad patriam perducit». Illa mater, fulgens sicut angelus, hora decima quarta cum quadrante transiit die Dominica XXIV mensis Octobris anno MCMXV.

Perdurante et augescente sanctimoniae fama, Processus Informativus ab anno MCMXXIII ad annum MCMXXX apud Curias episcopales Comensem et Mediolanensem est actus. Die XII mensis Iunii anno MCMXXXII Decretum

emissum est scriptionum approbationis et die XV mensis Martii anno MCMXXXIX Venerabilis Servus Dei Summus Pontifex Pius XII Decretum ad Processum Apostolicum incohandum subsignavit. Die VI mensis Martii anno MCMLIX in celebratione Congregationis generalis, adstante beato Ioanne XXIII, examen actum est circa virtutes heroicas Servi Dei Aloisii Guanella cuius Decretum die VI mensis Aprilis eiusdem anni est promulgatum. Omnibus de iure servatis, die XV mensis Iunii anno MCMLXIV Decretum prodiit, quo duo miracula sunt approbata intercessioni beati Aloisii Guanella adscripta. Die XXIV mensis Octobris anno MCMLXIV Paulus VI, Decessor Noster, in Beatorum album eum rettulit.

Intuitu Canonizationis, examini subiecta est Congregationis de Causis Sanctorum sanatio iuvenis, victimae gravissimi casus in Archidioecesi Philadelphiensi, in urbe Campifontana, ex Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis. Consilium Medicum Congregationis de Causis Sanctorum, in Congregatione die XII mensis Novembris anno MMIX, agnovit sanationem sub luce scientiae medicae inexplicabilem fuisse. Ad hunc quod attinet eventum Consultores Theologi, in Congressu Peculiari, die XXX mensis Ianuarii anno MMX habito, circa intercessionem beati Aloisii Guanella unanimiter affirmativam tulerunt sententiam. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die XX mensis Aprilis eiusdem anni congregati, agnoverunt sanationem verum fuisse miraculum, quod efficaci eiusdem beati intercessioni est attribuendum.

Nosmet Ipsi die I mensis Iulii anno MMX facultatem Congregationi de Causis Sanctorum tribuimus ut Decretum super miraculo promulgaret. Die XIX mensis Februarii anno MMX in sollemni Consistorio Canonizationem beati Aloisii Guanella die XXIII mensis Octobris anno MMXI celebrandam decrevimus.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Guidonem Mariam Conforti, Aloisium Guanella et Bonifatiam Rodríguez De Castro Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die tertio et vicesimo mensis Octobris, anno Domini bismillesimo undecimo, Pontificatus Nostri septimo.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 197.346

II

Quibus Beato Iacobo Berthieu Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Quicumque quaesierit animam suam salvam facere, perdet illam; et, quicumque perdiderit illam, vivificabit eam» (*Lc* 17, 33).

Beatus martyr Iacobus Berthieu hoc Domini verbum tenuit donec suam traderet vitam, potius quam a fide descisceret. Die XXVII mensis Novembris

anno MDCCCXXXVIII in oppido *Polminhac* dicionis Cantalensis in Francogallia ex pauperum sed perquam religiosorum agricolarum familia ortus est, qui eodem ortus die eum baptizandum curaverunt. Primis curriculis nativo in pago absolutis, Institutum Fratrum Scholarum Christianarum in oppido *Aurillac* frequentavit. Mox a Iesu Christo est captus, quem ut discipulus persequendum decrevit, Seminarium Minus in urbe *Pléauz* ingrediens, inde ad Seminarium Maius Sancti Flori se contulit, ubi presbyteralem ordinationem die XXI mensis Maii anno MDCCCLXIII recepit. In proxima paroecia *Roannes-Saint-Mary* vicarius est renuntiatus, in quo ministerio animas salvandi desiderio flagravit. Confirmabatur interea in eo religiosa vocatio et missionaria, sic anno MDCCCLXXIII in novitiatum Societatis Iesu est ingressus, cuius sodalis factus totum orbem peragrare ad Dei gloriam cupiebat. Eius moderatores eum missionarium in Madagascariam miserunt. Indefatigabilis pastor Insulae Sanctae Mariae, linguae illius loci ediscendae impensam operam dedit. Praeter catechismum tradendum, baptismum vitamque liturgicam studiose praeparandam, providum opus gessit indigenas instituendi, cum eos congruam agriculturam doceret atque sic brevi tempore effecit ut populus sibi demandatus in sociali et oeconomica provincia progrediretur. Anno MDCCCLXXXI, propter decretam a Francogallicis dicionibus religiosorum depulsionem, una cum aliis sodalibus missionariis Insulam Sanctae Mariae coactus est deserere. Magnum Madagascariae solum exsules recepit. Primum ad *Ambohimandroso* oppidum missus est, exinde, loci regimine subinde oppugnante, ad Tamatavensem urbem, tum denique ad *Vohémar* locum, id est ad septentrionalem-orientalem partem illius insulae, ut cappellani Francogallorum militum munere fungeretur. Pace rursus constituta, ad novam missionem die III mensis Iulii anno MDCCCLXXXVI se contulit, quae fuit *Ambositra.* At obtemperans prorsus moderatoribus, floridam communitatem christianorum deserere est coactus, quae quinque per annos eum indefessum habuerat apostolum. Ad *Andrainarivo* urbem, scilicet ad septentrionalem-orientalem partem Tananarivi, missus est. Separationis dolor non impedivit quominus renovato studio se novae communitati, se recipienti, traderet. Gabrieli fratri, in India missionario, aperte scripsit: «Vesperi et mane catechismum doceo atque reliquum tempus in homines recipiendos confero, aut in omnes qui ad Vicariatum pertinent, amicos inimicosque invisendos, ut Domino nostro eos lucrer». Districtus *Anjozorofady* eius fuit postrema statio. Etiam nova in missione penitus loci vitam induit; omnes convenit; res oeconomicas regionis, operis, mutui adiumenti, doctrinae tradendae in se recepit. Nihil ei fuit indifferens.

Adversus iniusta pugnavit, dum pauperes aegrotosque iuvabat. Madagascarienses eum putabant sacerdotem de caelo descendentem, cum dicerent: «Noster es pater et mater». Totum se omnibus dicavit, cum ex precatione et Cordis Iesu amore humanam sacerdotalemque vim hauriret, dum anno MDCCCXCVI ad martyrium perveniret. Annis illis latronum agmina necando et omnia delendo Nationem vastabant, potissimum christianos insectabantur, sontes, ad eorum opinionem, propter alienigenarum amicitiam. Paroeciam vacuefacere omnibus una cum suis christianis coactus, a nonnullis senibus aegrotisque iuvandis retardatus est, cum suum equum cuidam eorum concessisset. Ab agmine, a militibus fulto, fugitivorum iam seiunctus, a latronibus captus, ad pagum *Ambiatibe* perductus est. Grassatorum moderator ab ipsius collo crucifixum detraxit, petens ab eo ut a fide deficeret atque, eo negante, iussit ut ipse manuballista necaretur. Die VIII mensis Iunii anno MDCCCXCVI interiit, cum diceret: «Mori malo potius quam a fide mea deficere».

Martyrii patris Iacobi Berthieu propter famam, cum in Madagascaria tum in Francogallia plane diffusam, Archiepiscopus Antananarivensis Processum Ordinarium Informativum incohavit, qui annis MCMXXXIII-MCMXXXV peractus est. Processus vero Apostolicus de Servi Dei martyrio annis MCMXLVII-MCMXLVIII est absolutus. Paulus VI eundem die XVII mensis Octobris anno MCMLXV in beatorum catalogum rettulit. His perfectis a iure statutis rebus, anno MMV in archidioecesi Antananarivensi dioecesana inquisitio de putata mira sanatione est acta. Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum die VII mensis Maii anno MMIX id ad scientiam inexplicabile iudicarunt et Theologi Consultores in Congressione Peculiari die XXI mensis Maii anno MMXI coadunati efficaci beati intercessioni sunt suffragati. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die VIII mensis Novembris anno MMXI coadunati, hunc casum verum miraculum putaverunt. Itaque facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum die XXIX mensis Decembris anno MMXI ederet. Nos Ipsi in Consistorio die XVIII mensis Februarii anno MMXII habito statuimus ut canonizationis beati Iacobi Berthieu ritus die XXI mensis Octobris anno MMXII celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum

Nostrorum consilio, Beatos Iacobum Berthieu, Petrum Calungsod, Ioannem Baptistam Piamarta, Mariam a Monte Carmelo Sallés y Barangueras, Mariam Annam Cope, Catharinam Tekakwitha et Annam Schäffer Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die vicesimo primo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 205.563

CONSTITUTIO APOSTOLICA

GBOKENSIS

In Nigeria nova conditur dioecesis Gbokensis appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolorum navitatem qui, vestigia Christi sequentes, praedicaverunt verbum veritatis et genuerunt Ecclesias (cfr *Ad gentes*, 1), Nos, qui beato Petro successimus, omnibus viribus prosequimur atque in praesens mentem Nostram ad fideles vertimus in Nigeria degentes. Eorum pastorales perspicientes necessitates spiritaleque iter, de nova cogitavimus dioecesi ibi instituenda. Idcirco, quorum interest cognita sententia, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, territoria civilia vulgo dicta «Local Government Areas», videlicet *Gboko, Tarka, Buruku, Ushongo, Kwande, Vandeikya* et *Konshisha*, ab ecclesiali communitate Makurdensi distrahimus, ex quibus novam dioecesim erigimus Gbokensem appellandam. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe v. d. *Gboko* statuimus templumque ibidem exstans Deo in honorem Sancti Ioannis Baptistae dicatum ad gradum evehimus templi Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Dioecesim Gbokensem Metropolitanae Ecclesiae Abugensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Ad haec tandem explenda, quae per has Litteras statuimus, Venerabilem Fratrem Augustinum Kasujja, Archiepiscopum titulo Caesariensem in Numidia atque Apostolicum Nuntium in Nigeria deputamus, necessarias eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutio-

nem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.152

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Mariae Isabellae Salvat y Romero Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Fili mi, ne obliviscaris legis meae, et praecepta mea cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum et annos vitae et pacem apponent tibi. Misericordia et veritas te non deserant » (*Prv* 3, 1-3).

Sapiens Israel vir discipulum suum adhortatur ut doctrinam acceptam conservet uti pretiosum thesaurum caute contrectandum, quandoquidem in eo fructuosum ac locuplens suae aliorumque vitae propositum inveniet. Veritas huius propositi, experientia humana comprobati divinaque inspiratione illuminati, luculenter patet e vita, spiritualitate et operibus Servae Dei Mariae ab Immaculata Conceptione, in saeculo Mariae Isabellae Salvat y Romero.

Serva Dei die XX mensis Februarii anno MCMXXVI Matriti nata est e familia opibus bene ditata. Sequenti die, ad baptismalem fontem ecclesiae paroecialis Dominae Nostrae a Conceptione est adducta, ubi nomen Mariae Isabellae assumpsit. Convictus domesticus spiritu religioso valde informatus necnon instructionis eius primordia virtutibus christianis eam penitus imbuerunt, quas prudentius fovit apud Scholam maternam Matritensem Beatae Virginis Mariae a sororibus Hiberniis administratam et ab aetate puellari frequentatam.

Anno MCMXXXVI, civile bello hispanico exardescente, familia in Lusitaniam se contulit, sed, duobus post annis, rediit in patriam, primum in oppidum Vasconicum Sebastianopolim, deinde in urbem Matritum.

Hos per annos Maria Isabella omnes dotes personales ac culturales excolebat quibus parabatur ad vitam socialem commode agendam, magni aestimatam ob mediam civium classem ex qua proveniebat. Ipsa vero vocationem ad vitam consecratam lucide percipere incepit ut, petitione praehabita, anno MCMXLIV uti Postulans exciperetur in Congregationem Sororum Societatis Crucis. Sequenti anno habitum religiosum induit et novitiatum iniit, sumpto nomine Sororis Mariae ab Immaculata Conceptione a Cruce.

Tempore formationis, illa iam magno studio, spiritu sacrificii et vitae integritate eminuit. Praecipue ostendit amorem paupertatis, conversationem humilem et integram et validum oboedientiae spiritum. Anno MCMXLVII vota religiosa nuncupavit.

Perpensa eius humana et spirituali formatione, commissa est illi administratio collegii loci *Lopera* prope Giennum, quam alia secuta sunt munera in urbibus Vallisoleto et *Estepa*; et alia quoque in aliis Congregationis domibus. Insuper nominata est Moderatrix Provincialis, deinde Consiliaria Generalis, ac tandem Moderatrix Generalis Instituti. Sancta Sede approbante, ter electa est ad hoc grave officium, quod, arduis temporibus post Concilium Vaticanum II, valde onerose erat gerendum. Nihilominus illa vires impendit ad accommodandas Constitutiones Instituti ita ut charisma primigenium custodiretur ac magni existimaretur per fidelitatem erga Evangelium necnon Magisterium Ecclesiae, per dimensionem eucharisticam et Marialem, per adaequationem ad traditionem et hodiernum rerum prospectum Ecclesiae et societatis. Soror Maria observabat fidelitatem non tamquam tediosam repetitionem commendatarum formularum, sed veluti desiderium efficax ad munera quae Dominus ei dedit adimplenda. Omnibus in rerum adiunctis oculos convertebat ad Sanctam Angelam a Cruce, Congregationis Sororum Societatis a Cruce Fundatricem, uti inexhaustum fontem fidelitatis erga traditionem, dum Congregatio renovabatur.

Peculiari studio formationem continuam sororum curabat ut illis incertis annis testimonium vitae suae enitesceret atque exemplum fortitudinis pro multis earum exstaret. Sollicitam se gessit ad provehendas vocationes, quarum fructus etiam visibiliter obvenerunt, eo ut Serva Dei alias domos religiosas in aliis oppidis Hispaniae et Italiae constituere cogeretur.

Laeta et mitis animo, spiritum fiduciae et communionis in Instituto fovit; in primis eius solida spiritalitas intentiones actionesque eius movebat. Actuosam experientiam religiosam demonstravit, viva cognitione praesentiae Dei exercitam; Eius voluntatem indesinenter quaesivit, fontibus orationis et contemplationis nutrita. Promptam se praebuit ad necessitates aliorum, praesertim egentiorum, solvendas, et ad difficultates hodiernae societatis tractandas. Animum ita ad perfectionem intendit, ut assiduam attingeret ac fervidam humanarum et christianarum virtutum exercitationem.

Detecto tumore, sectioni chirurgicae anno MCMXCIV subiecta est. Mira docilitate magnaque animi fortitudine morbum oppetivit atque quattuor per annos liberali animo suam operam exercere perrexit. Postremis vitae diebus,

quo maiore afficiebatur dolore, eo maiorem fiduciam in Dei benevolentia renovavit atque se ad Sponsum occurrendum paravit.

Pie obiit die XXXI mensis Octobris anno MCMXCVIII apud Almam Domum Hispalensem. Celebrationem exsequiarum participaverunt innumeri sacerdotes, religiosae et christifideles, quod famam sanctitatis iam in Servae Dei vita recognitam confirmavit.

Quam ob famam, Processus Ordinarius apud curiam Hispalensem a die XX mensis Februarii anno MMIV ad diem XV mensis Novembris eiusdem anni instructus est, cuius validitatem Congregatio pro Causis Sanctorum approbavit per Decretum die II mensis Iulii anno MMV editum. Apparata *Positione*, die VI mensis Iunii MMVIII Congressus Peculiaris actus est Consultorum Theologorum, qui professi sunt Servam Dei heroum in modum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas exercuisse. Idem edixerunt Patres Cardinales et Episcopi in Congregatione Ordinaria die II mensis Decembris anno MMVIII congregati.

Nos Ipsi, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipientes rataque habentes, mandavimus ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus die XVII mensis Ianuarii anno MMIX conscriberetur. Ad beatificationis causam exhibita est sanatio puellae, iam sectioni chirurgicae ob cordis aegrotationem nativam subiectae, a diuturno damno cerebrali postanoxico. Die vero primo mensis Iulii anno MMIX Consilium Medicum eiusdem Congregationis unanimiter censuit eamdem sanationem ultra naturae vires et leges contigisse, atque Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, die V mensis Decembris anno MMIX actus, illam miram sanationem intercessioni Venerabilis Servae Dei attribuit. Idem iudicium protulerunt Patres Cardinales et Episcopi in Congregatione Ordinaria die VII mensis Martii anno MMX habita. Quapropter Nos Ipsi mandavimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de re promulgaret. Statuimus quoque ut Beatificationis ritus Hispali in Hispania celebraretur die XVIII mensis Septembris anno MMX.

Hodie igitur Hispali de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Mariam ab Immaculata Conceptione, in saeculo Mariam Isabellam Salvat y Romero, in Beatorum numeram adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Ioannis Iosephi Asenjo Pelegrina, Archiepiscopi Metropolitae Hispalensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis

Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria ab Immaculata Conceptione, in saeculo Maria Isabella Salvat y Romero, virgo, Antistita Generalis Congregationis Sororum Societatis a Cruce, quae, sapientia Crucis illuminata, vitam suam indigentibus et aegrotantibus iuvandis christianaeque iuventuti instituendae dicavit, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die tricesima prima Octobris, qua in caelum est nata, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Septembris, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 146.706

II

Venerabili Dei Servae Mariae Seraphinae a Sacro Corde Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ut omnes populi totius terrarum orbis dent laudem et gloriam Sanctissimae Trinitati ».

Haec verba summum exprimunt desiderium Venerabilis Servae Dei Seraphinae a Sacro Corde, Fundatricis Instituti Sororum ab Angelis, cuius vita in proximi servitium signo amoris Sanctissimae Trinitatis est evoluta, quam ipsa, sicut angeli, in Eucharistia adoravit. Orta est die XI mensis Septembris

anno MDCCCXLIX in oppido *Imèr* provinciae Tridentinae, tunc in dicione Imperii Austro-Hungarici. Postridie adducta est ad fontem baptismalem ubi indita est illi nomen Clothildis. Parentes eius Dominicus et Anna Maria Orsingher, pauperes quidem sed piissimi Christiani, instituerunt eam ut totam fiduciam in Deo poneret et se pararet ad quemlibet indigentem adiuvandum. Clothildis adolevit apud frequentem familiam at saepe dolore afflictam. Inde a puellari aetate fortem et sinceram monstravit indolem ac fervidum spiritum religiosum. Decem aetatis annos agens, anno scilicet MDCCCLIX, primum ad Sanctissimam Eucharistiam inter sollemnia Paschalia accedit. Duodeviginti annos nata, vehementer singularem experta est eventum qui totius vitae cursum definivit. Die videlicet altero mensis Augusti anno MDCCCLXVII, in festo quidem Sanctae Mariae Angelorum, ipsa Domina ab illa petivit ut Institutum religiosum erigeret cuius esset, more angelorum, per Eucharistiam Sanctissimam Trinitatem adorare. Hanc mysteriosam vocationem suo in corde meditans, oppidum *Imèr* reliquit, suae terrae fines transiit et, in Italiam ingressa, laborem invenit et spiritalia adiumenta, adiuvantibus, primum Venetiis admodum Rev.do Dominico Agostino, moderatore spiritus et futuro Venetiarum Patriarcha, deinde Patavii admodum Rev.do Angelo Piacentini, professore seminarii localis. Postea, etsi inter difficultates, Congregationem religiosam, quam Maria desideraverat, instituere conata est in oppido *Castellavazzo* provinciae Bellunensis. Illo autem conatu impedito, statuit ad parentes redire, qui interim in Germaniam emigraverant. Opus invenit apud valetudinarium Sororum Sanctae Elisabethae in oppido *Eppendorf*, quo munere fungens multum didicit de vita consecrata eiusque aspectu communitario. Parentibus vita functis, ad oppidum *Imèr* rediit ubi, sua ex indole, se devovit labori domestico et operibus paroecialibus; praesertim vires impendit in iuvenes erudiendos, necnon ad Consociationem Filiarum Mariae promovendam. Intendens voluntatem Dei discernere ac paenitentiam agere, consilium cepit, simul cum nepticula sua Iudith, peregrinationem in urbem Romam pedibus obire. Inter diem III mensis Maii et diem XIV Septembris anno MDCCCLXXXVII, festum scilicet Exaltationis Sanctae Crucis, varia sanctuaria invisit, e quibus non solum consolationem devotionemque traxit, sed constantiam ad vocationem obeundam. Post fervidam orationem iuxta Apostoli Petri sepulcrum, excepta est sicut hospes a Sororibus nomine *Immaculatinis*. Habitum cyaneum parumper induit, nomen «Sororis Annuntiatae» assumens. Plurimis denique difficultatibus et offensionibus fortiter superatis, die XXVIII mensis Iunii anno MDCCCXCI, Reveren-

dissimo Episcopo Henrico De' Rossi approbante, Institutum Sororum ab Angelis fundavit apud sacellum familiae Petriccione in oppido *Briano* provinciae Casertae. Quadraginta duos fere annos agens, ea, simul cum quattuor iuvenibus, religiosum habitum et nomen Sororis Mariae Seraphinae a Sacro Corde sibi sumpsit. « O angeli sancti », scripsit, « vos imitari cupio et socia vestra esse, ... ut Deum in omnibus super terram videre possim Eumque amare et vobiscum exclamare: Sanctus, Sanctus, Sanctus! »; « oportet me uti Angelum esse pro omnibus qui me circumstant ». Brevi tempore numerus crevit sororum, quae alias domus instituerunt et magis magisque consciae fuerunt de opere orbatis, pauperibus, aegrotantibus necnon iuvenibus derelictis praestando. Speciali autem modo operam dederunt instructioni religiosae. Anno MDCCCXCIX, Beneventi apud antiquum Carmelitanarum monasterium in pago *Faicchio* Mater Seraphina domum instituit quam ipsa ita praedilexit ut, aliquos post annos, novitiatum in eam transferret eamque generalem Domum constitueret. Episcopus dioecesis, Angelus Michaëlis Iannacchino, approbavit Constitutiones Instituti anno MCMIV. Mater Seraphina, corporis dolores sustinens, in pago *Faicchio* ultimos aetatis gessit annos. Numquam cessavit sorores, tunc totam per Italiam propagatas, sublevare eisque animos addere. Dicebat illis: « Vos adorabitis Trinitatem sicut angeli et eritis in terra sicut illi sunt in caelis ». Et « religiosa fiet sicut angelus, cum omnino humilis fuerit ». Ita descripsit spiritualem sororum indolem, amore Dei et servitio fratrum, potissimum egentium, signatam. Ipsa prima exstitit ad testimonium de his virtutibus reddendum. Virtutes fidei, spei et caritatis ex oratione originem ducentes, ipsa paenitentia corroboravit. Venerabilis Dei Serva cotidianum opus mirabili cum cura adimplebat, desiderio unionis cum Deo impulsa, quod invocationibus ac precibus iaculatoriis exprimebat. Accurate et assidue incubuit in Sponsum Caelestem diligendum: videlicet Iesum Christum, quem illa ante omnia praeposuit. Venerabilis Serva Dei Seraphina tam sapientia cordis gratiaeque divinae affectu ita vigebat, ut in Instituto quoque regendo amorem, prudentiam, studium, necnon oboedientiam erga Ecclesiam mostraverit. Mense vero Decembri anno MCMX, valetudinis condicio in peius ruit et, nimis defatigata, die XXIV mensis Martii anno MCMXI, sexaginta duo fere annos nata, mors lumina clausit, adferens in conspectum Domini cum desiderio videndi omnes suas sorores sanctas atque populos totius terrarum orbis promptos ad mysterium Dei-Amoris amplectendum. Scripserat enim: « Oportet has sorores sanctas esse » ... « Et omnes populos terrarum orbis laudem et gloriam tribuere Sanctissimae Trinitati ». Anno

MCMXXXIX, exuviae eius ad ecclesiam v. d. *del Carmine* sunt translatae, prope Domum generalem, in qua hodie asservantur.

Sanctitatis fama, qua vivens illa circumdabatur, post obitum crevit. Anno ideo MCMXC inceptus est Processus Ordinarius Cerretanus-Thelesinus-Sanctae Agathae Gothorum, quem peractum Congregatio de Causis Sanctorum approbavit et Decretum super virtutibus die altero mensis Iulii anno MCMXCIII conscripsit. Die XXVII mensis Februarii anno MMIX actus est, voto favorabili, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Deinde est habita Patrum Cardinalium et Episcoporum Sessio Ordinaria die XVI mensis Iunii MMIX, in qua edictum est virtutes theologales necnon cardinales eisque adnexas in gradu heroico Venerabilem Servam Dei exercuisse, quam sententiam Nos Ipsi, die III mensis Iulii anno MMIX, ratam habuimus, Congregationem de Causis Sanctorum iubentes ut Decretum promulgaret. Deinde iudicio eiusdem Congregationis subiecta est asserta mira sanatio Sororis Michaëlinae Acocella, quam Consilium Medicorum in sessione diei III mensis Decembris anno MMIX inexplicabilem fuisse affirmavit. Consultores Theologi, Ordinaria in Sessione die XXVI mensis Martii anno MMX peracta, eandem sanationem miro in modo esse patratam necnon Venerabilis Dei Servae intercessioni tribuendam declaraverunt, quod iudicium Patres Cardinales et Episcopi comprobaverunt in Sessione Ordinaria die VIII mensis Iunii anno MMX habitam. Primo tandem die mensis Iulii anno MMX Nos Ipsi, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipientes, mandavimus ut Decretum de praedicta mira sanatione ab eadem Congregatione conscriberetur, simulque decrevimus ut die XXVIII mensis Maii anno MMXI beatificationis ritus celebraretur.

Hodie igitur in *Faicchio*, de mandato Nostro, Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Seraphinam a Sacro Corde, in saeculo Clothildem Micheli, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Michaëlis De Rosa, Episcopi Cerretani-Thelesini-Sanctae Agathae Gothorum, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria Seraphina a Sacro Corde (in saeculo Clothildis Micheli), virgo, fundatrix Instituti Sororum ab Angelis, quae ad exemplum Angelorum in adoratione SS. Trinitatis vixit, in voluntate divini Sponsi adimplenda perseverans, in humili famulatu erga indigentes inque religiosa

institutione puerorum, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die duodetricesima Maii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Gaudemus igitur quod sueta oratione etiam hanc piam religiosam, cuius nomen intra Beatorum numerum addidimus, omnes christifideles venerari possunt eamque Ipsi summa cum religione invocamus ut a Deo, supernorum omnium donorum Largitore, christiano populo vim impetret virtutes suas constanter imitandi.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud, Sanctum Petrum, die decimo tertio mensis Maii, anno Domini bis millesimo undecimo, Pontificatus Nostri septimo.

De mandato Summi Pontificis
Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 147.876

III

Venerabili Dei Servo Aloisio Andritzki caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Permagum est propriam vitam pro Christo tradere ».

Paucis ex his verbis, quae Aloisius Andritzki iuvenis pronuntiavit, percipi intellegique potest strenua voluntas eum totum ad Christum pertinere velle et omnibus rerum in adiunctis esse fidelem. In fide catholica tuenda firmus semper ipse fuit, Domini amore ad se suamque vitam tradendam paratus.

Venerabilis Dei Servus Aloisius Andritzki natus est a Ioanne et Magdalena Ziesch, pientissimis parentibus, ex Soserbia oriundis, in oppido *Radibor* apud Budissam in Germania quondam Orientali, die II mensis Iulii anno MCMXIV. Subsequenti die V mensis Iulii in paroeciali templo, Mariae Reginae Rosarii dicato, Baptismatis aqua est ablutus. Puerilis institutionis curriculis suo in oppido peractis, Budissae scholam catholicam altioris gradus adire coepit, mense Martio anno MCMXXXIV maturitatis diploma obtinens. Ullis ipsis annis Aloisius iuvenis desiderium percepit Domino sese totum per sacerdotium consecrandi. Qua de re die VI mensis Aprilis eiusdem anni curricula theologica apud Paderbornensem philosophiae et theologiae Academiam persequi coepit atque paschalium celebrationum tempore anno MCMXXXVIII seminarium dioecesanum Misnense ingressus est. Illis annis Aloisius modestus et perquam hilaris, musicae et athleticae studiosus a sodalibus est memoratus.

Venerabilis Dei Servus, ordines minores adeptus, die XXX mensis Iulii anno MCMXXXIX in cathedrali templo Budissensi ab Episcopo Petro Legge presbyteralem ordinationem recepit atque subsequenti die I mensis Octobris eiusdem anni cappellani officium apud templum Sanctissimae Trinitatis Dresdae sustinere coepit. Hoc in loco magnam partem apostolatus egit, operam praesertim dans iuvenibus catholicorum coetuum curandis. Hac in re studiosus repertus est et validus concionator, cupiens singulis momentis Dei voluntatem adimplere atque suum ministerium solida constantique precatione nutriens. Hanc propter extraordinariam caritatem necnon proclivitatem in pauperes et aegrotos iuvandos Aloisius sibi multorum fidelium conciliavit aestimationem.

Eius de iuvenibus opera Nazistarum principia aversabatur, sic die XXI mensis Ianuarii anno MCMXLI captus est a publicis custodibus, quos appellabant *Gestapo*, et in vincula est coniectus, sex mensibus carceris damnatus ob accusationem « sententiarum Statui infensarum ». Post mensem, die X mensis Octobris in Dachaviae campum captivis custodiendis est deductus. Licet tribulationes pateretur, numquam animum despondit, totum se Deo, omnino demissum, committens. Firmus in fide, Venerabilis Dei Servus, typho aegrotus propter miserrimas condiciones illius campi Dachaviae die III mensis Februarii anno MCMXLIII obiit.

Sanctitatis fama martyrii compulsus, Dresdensis Episcopus anno MCMXCVIII Inquisitionem dioecesanam incohavit, cuius iuridica validitas a Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum die VIII mensis Martii anno

MMII agnita est. Die porro VII mensis Novembris anno MMIX in Congressione Peculiari Consultores Theologi eidem rei sunt suffragati. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die IX mensis Novembris anno MMX eius mortem ut martyrium iudicarunt. Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super martyrio die X mensis Decembris anno MMX ederet atque statuimus ut beatificationis ritus Dresdae eodem tempore celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servum Aloisium Andritzki adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Ioachimi Friderici Reinelt, Episcopi Dresdensis-Misnensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Aloisius Andritzki, presbyter et martyr, pastor secundum cor Domini Iesu, intrepidus praeco Regni Dei, quod regnum est veritatis et vitae, sanctitatis et gratiae, iustitiae, amoris et pacis, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die tertia Februarii, qua in caelum est natus, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Iunii, anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

De mandato Summi Pontificis

THARSICIUS card. BERTONE

Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 168.645

IV

Venerabili Dei Servo Francisco Paleari Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « In Parva Domo Divinae Providentiae omnia habentur ut sancti fiamus » — dicebat Franciscus Paleari.

Parva Domus haec est quam sanctus Iosephus Benedictus Cottolengo fundavit. In ea, inter homines qui vias sublimis percurrerunt sanctitatis, resplendet Venerabilis Servus Dei Franciscus Paleari, presbyter, qui post sanctum Fundatorem primus ad gloriam altaris attollitur. Nam vita sua, plane famulatui Dei fratrumque dicata, ipse manifestat vultum Christi Boni Pastoris, qui exemplar exstat omnis sacerdotalis actuositatis.

Verus hic Christi sacerdos est ortus in *Pogliano Milanese*, intra fines archidioecesis Mediolanensis, die XXII mensis Octobris anno MDCCCLXIII, paenultimus ex octo filiis. Familia eius oeconomicis bonis carebat, quapropter eum in Seminarium dioecesanum mittere non valebat. At ipse vocationem suam ad sacerdotium complere potuit in urbe Taurinensi, in Parva Domo Providentiae. Presbyter ordinatus die XVIII mensis Septembris anno MDCCCLXXXVI, totam per vitam forma factus est gregis. Ampla praeditus cultura, apostolus fuit indefessus, prudenter magni momenti munera exercens uti magister, confessarius, moderator spiritus, praedicator et provicarius generalis archidioecesis Taurinensis.

Vita eius non permoventibus constabat rebus gestis, sed eventibus mirabilis simplicitatis et suavitatis. Parvus specie atque exilis constitutione, virtutes constanter exercuit, quae ipsi quasi naturales sunt factae. Revera, mansuetudinem et dulcedinem manifestabat sancti Francisci de Sales, paupertatem humilitatemque sancti Francisci Assisiensis, spiritum autem missionarium sancti Francisci Xaverii, caritatem in infimos sancti Vincentii a Paul, paedagogicam sedulitatem sancti Ioannis Bosco. Sed ante omnia resplendebat vultum sancti Iosephi Benedicti Cottolengo, cuius persuasus ardensque vixit charisma. Fidei spiritus, per quem omnia in luce Dei videbat, oratione sustinebatur, singulari fervore eucharistico filialique Mariali cultu. E diuturna adoratione et contemplatione oriebatur heroica eius caritas in Deum et proximum.

Maiorem partem suae vitae moratus est in Parva Domo, amanter visitans aegrotantes, quos bonis verbis solabatur. Insuper in carcere clausos parabat ad Pascha et sacerdotes laicosque adiuvabat qui complures ad eum accurrebant consilium et moderationem quaerentes. Misericordia eius in confessione permagna fuit. In Parva Domo vox pervulgabatur Franciscum Paleari sacerdotem sanctum esse. Paenitentes asserebant cum ipso se vicinos Deo sentire. Gaudium eius caelum aperiebat. Ipsemet, quolibet momento et quodvis officium explens, iugiter respondere poterat se esse paraturum ad caelum ingrediendum. Hoc modo crucis experientia eum haud imparatum invenit: nam longam accipiens aegritudinem, quae ab anno MCMXXXVI se manifestavit, novit sanctificare etiam tempus aegri otii. Certitudinem aerumnas suas coniungere posse cum Christi passione pro Ecclesiae utilitate atque spem habens consequendi praemium aeternum in fine terrestris peregrinationis, exclamabat: «Crux primum quidem amarissima est, deinde amara, postea dulcis ac denique in extasim rapit».

Dominus vocavit eum die VII mensis Maii anno MCMXXXIX. Ob diffusam inter sodales eius et populum Dei famam sanctitatis, anno MCMXLVII Archiepiscopus Taurinensis beatificationis et canonizationis Causam incohavit. Probata eius iuridica validitate per Decretum Congregationis de Causis Sanctorum die XVIII mensis Ianuarii anno MCMXCI, Congressus peculiaris Consultorum Theologorum, die XXV mensis Martii anno MCMXCVII de virtutibus Servi Dei heroico more exercitis prosperum dedit votum, et ita iudicaverunt etiam Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria coadunati die XIII mensis Ianuarii anno MCMXCVIII. Itaque Decessor Noster, beatus Ioannes Paulus II, die V mensis Aprilis eiusdem anni promulgavit Decretum de virtutibus. Rite peractis omnibus iure statutis, exhibita est quaedam sanatio, intercessioni Servi Dei adscripta, quae scientifice inexplicabilis iudicata est a Consultoribus medicis die IX mensis Martii anno MMIX. In Congressu Peculiari Consultorum Theologorum die XXIX mensis Aprilis eiusdem anni ipsi affirmativam tulerunt sententiam sanationemque intercessioni Venerabilis Servi Dei adscripserunt. In Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi die IX mensis Novembris anno MMX eam verum mirum divinitus operatum iudicaverunt. Quapropter die X mensis Decembris anno MMX Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut Decretum super miro ederet. Tandem statuimus ut ritus beatificationis Augustae Taurinorum die XVII mensis Septembris anno MMXI perageretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servum Dei Franciscum Paleari in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Caesaris Nosiglia, Archiepiscopi Metropolitae Taurinensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Franciscus Paleari, presbyter, Societatis Sancti Iosephi Benedicti Cottolengo sodalis, qui in ministerio suo exercendo omnibus omnia se fecit, intime se conformans Christo, summo et aeterno Sacerdoti, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die duodevicesimo Septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nihil sane dubitamus exemplum fidei professionis, ministerii ac spiritalis vitae huius Beati multum prodesse pastoribus et christifidelibus etiam nostra aetate ut cotidie fidem suam catholicam integram servent et vivae caritatis profiteantur operibus.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Septembris, anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 169.853

V

Venerabili Dei Servae Helenae Aiello Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Crux mensura fuit Amoris Dei pro nobis».

His verbis Venerabilis Serva Dei Helena Aiello summum amorem exprimebat suum erga Christum crucifixum et charisma quod totam illuminabat vitam eius atque in Ecclesia missionem. Haec mulier humilis et fortis die X mensis Aprilis anno MDCCCXCV in pago vulgo dicto *Montalto Uffugo* orta est in regione Cosentiae; sex post diebus per baptismum ad vitam gratiae est nata. Educationem christianam recepit, sed immature matre sua est orbata. Tempus dein malae valetudinis transigens, vitam suam Domino consecravit per paupertatis, castitatis et oboedientiae vota. Omnium gentium primo bello peracto et magna pestilentia «Hispanica» extincta, Institutum Filiarum a Caritate Pretiosissimi Sanguinis Nuceriae Paganorum mense Augusto anno MCMXX est ingressa. Cum vires corporis deficerent ei propter malam levis morbi curam administratam, conventum relinquere oportuit. Reversa domum, intercessionem sanctae Ritae quaesivit et efficacem recepit sanationem. Mense Novembri anno MCMXXI incepit donis mysticis frui, quae usque ad mortem eam comitaverunt. Nonnulla eorum, velut sudor sanguinis et stigmata, conspicua erant praesertim in feriis sextis temporis Quadragesimae et in feria sexta in Passione Domini. His vero experientiis Passionis Domini corroborata, Serva Dei, una cum prima socia sua Aloisia Mazza, opera caritatis erga minimos suscepit, praecipue erga infantes relictos, quod officium intercessionibus commendavit sancti Francisci de Paola, patroni Calabriae, et sanctae Teresiae a Iesu Infante. Etenim his a Sanctis inspirata, Congregationem Sororum Minimarum a Passione Domini Nostri Iesu Christi fundavit quae, cum gradatim creverit, Apostolicae Sedis approbationem die II mensis Ianuarii anno MCMXLVIII est consecuta. Participatio doloris Christi et amor in minimos, oratione indeficienti atque devotione erga Iesum in Sacratissimo Sacramento latentem confirmati: haec fuerunt fulcimina et Fundatricis et ipsius Congregationis nascentis, quae celeriter e Calabria in totam Italiam diffusa est necnon in alias Nationes simul cum migrantibus qui pauperes regiones Americae Latinae petiverunt. Cum Anno Iubilari MCML Venerabilis

Without prejudice to the provisions of Articles 9 to 12, admission to a given Higher Education Institution may be made conditional on demonstration by the applicant of sufficient competence in the language or languages of instruction of the institution concerned, or in other specified languages in order for the applicant to profitably undertake the studies in question.

SECTION V
RECOGNITION OF PERIODS OF STUDY

Article 15

Each Party shall appropriately recognize periods of study completed within the framework of a Higher Education program in the other Party. This recognition shall comprise such periods of study towards the completion of a Higher Education program in the Party in which recognition is sought, unless substantial differences can be demonstrated between the periods of study completed in the other Party and the part of the Higher Education program which they would replace in the Party in which recognition is sought.

SECTION VI

RECOGNITION OF HIGHER EDUCATION QUALIFICATIONS

Article 16

To the extent that a recognition decision is based on the knowledge and skills certified by the Higher Education qualification, each Party shall recognize the Higher Education qualifications conferred within the system of the other Party, unless a substantial difference can be demonstrated between the qualification for which recognition is sought and the corresponding qualification in the Party in which recognition is sought.

Article 17

Recognition in a Party of a Higher Education qualification issued in the other Party shall have one or both of the following consequences:

(*i*) Access to further Higher Education studies, including relevant examinations and/or to preparations for the doctorate, on the same conditions as those applicable to holders of qualifications of the Party in which recognition is sought;

(*ii*) The use of an academic title, subject to the laws and regulations of the Party or a jurisdiction thereof, in which recognition is sought; such recognition may facilitate access to the labor market.

Article 18

An assessment in a Party of a Higher Education qualification issued in the other Party may take the form of advice:

(*a*) for general employment purposes;

(*b*) to an educational institution for the purpose of admission into its programs;

(*c*) to any other competent recognition authority;

(*d*) to the holder of the qualification as a statement on the general value of the said qualification.

SECTION VII

INFORMATION ON THE ASSESSMENT/ACCREDITATION AND RECOGNITION MATTERS

ARTICLE 19

(A) Each Party shall provide adequate information on any institution belonging to its Higher Education System, and about its quality assurance system, with a view to enabling the competent authorities of the other Party to ascertain whether the quality of the qualifications issued by these institutions justifies recognition in the Party in which recognition is sought.

(B) The competent authorities of the Parties to provide adequate official information are the Congregation for Catholic Education of the Holy See in the case of the Holy See and the Ministry of Education of the Republic of China in the case of the Republic of China.

(C) The same Higher Education authorities of the Holy See and of the Republic of China shall provide information, specifically on the following:

(*i*) A description of its Higher Education System;

(*ii*) An overview of the different types of Higher Education Institutions belonging to its Higher Education System, with the typical characteristics of each type of institution;

(*iii*) A list of recognized and/or accredited Higher Education Institutions (public and private) belonging to its Higher Education System, indicating their powers to award different types of qualifications and the requirements for gaining access to each type of institution and program;

(*iv*) A list of educational institutions located outside its territory which the Party considers as belonging to its education system;

(*v*) National qualifications frameworks or other similar instruments;

(*vi*) Provisions for accreditation and/or quality assurance.

ARTICLE 20

(A) The Congregation for Catholic Education of the Holy See in the case of the Holy See and the Ministry of Education of the Republic of China in the

case of the Republic of China shall provide relevant, accurate and up-to-date information in order to facilitate the recognition of qualifications concerning Higher Education, by

(*i*) facilitating access to authoritative and accurate information on the Higher Education System and qualifications of the country in which it is located or the system it belongs to;

(*ii*) facilitating access to information on the Higher Education Systems and qualifications of the other Party; and

(*iii*) giving advice or information on recognition matters and assessment of qualifications, in accordance with international and national laws and regulations.

(B) The Congregation for Catholic Education of the Holy See or another organization, office or institution authorized by it for this purpose, shall provide information on the Higher Education System of the Republic of China and Higher Education Institutions legitimately belonging to or operating within the same system, in the framework of Recognition Conventions signed and ratified by the Holy See in order to:

(*i*) facilitate access to authoritative and accurate information on the Higher Education System and qualifications of the Republic of China;

(*ii*) promote academic collaboration and mobility among students and teachers;

(*iii*) give advice or information on recognition matters and assessment of qualifications, in accordance with national laws and regulations.

SECTION VIII

IMPLEMENTATION AND FINAL CLAUSES

ARTICLE 21

The body to oversee, promote and facilitate the implementation of this Agreement shall be a Mixed Commission comprised of 3-5 representatives of each Party, to be appointed by the Congregation for Catholic Education of the Holy See in the case of the Holy See and the Ministry of Education of the Republic of China in the case of the Republic of China.

ARTICLE 22

Should any divergence arise in the future concerning the interpretation or implementation of this Agreement, the Parties — through the Mixed Commission — will proceed by common accord to an amicable solution.

ARTICLE 23

This Agreement, which is of cultural and administrative character, shall enter into force from the moment of reciprocal notification of the fulfillment by the Parties of the procedures necessary for its entrance into force.

In witness thereof, the undersigned representatives have signed this Agreement.

Done in Taipei, on 2 December 2011, in two originals, in the English language.

For the Congregation for Catholic Education of the Holy See	For the Ministry of Education of the Republic of China
ZENON Card. GROCHOLEWSKI	CHING-JI WU

Apostolica Sedes et Res publica Sinarum alteram congruentem partem per Mutuas Notas certiorem fecerunt se utramque intraneas procedendi de iure rationes complevisse, necessarias ut haec Conventio vigere incipiat. Quae quidem Conventio die XVII mensis Decembris anno MMXII vigere coepit ad normam Articuli XXIII, eiusdem Pactionis.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

CAPUANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Donati Giannotti, Sacerdotis dioecesani Fundatoris Congregationis Sororum Ancillarum ab Immaculata (1828-1914)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Pascite, qui est in vobis, gregem Dei, providentes ne coacto sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris sed formae facti gregis » (*1 Pe* 5, 2-3).

Quem Evangelium Bonum Pastorem appellat, illum, ut Petrus presbyteris communitatis miris verbis proposuit, ita etiam Servus Dei Donatus Giannotti sibimet constituit, quippe ad quem omnia perinde in vita atque in spiritualitate referret: tum dicendo tum tacendo, tum agendo tum denique patiendo omnibus in adiunctis ita vixit ille, ut sciens et laetus particeps fieret mysterii Christi, qui Sacerdos est summus atque aeternus.

Natus est igitur iste Servus Dei in pago *Casapulla* (prope Casertam) die 6 mensis Iunii anno 1828. Egregiis maioribus ortus, in frequenti familia crevit atque humanis litteris christianaque doctrina laudabiliter instructus, inde a puero sensit non obscure, se ad genus vitae sacerdotalis vocari. Alumnus seminarii dioecesani Capuani, curriculo studiorum rite peracto, subdiaconus factus est. Cum autem necopinato casu mater mortua esset, ita dolore concussus est acerbo, ut domum necessario remeaverit medicae curationis causa. Hoc ipso verum tempore Sanctum Caietanum Erricum, cui obviam interea se tulerat, sacerdotem elegit, cui peccata ex consuetudine confiteretur. Cum vero studis olim intermissis rursus se commisisset, sacerdos tandem die 21 mensis Maii anno 1853 ordinatus est. Principio quidem sacerdotis munera in

ipso pago *Casapulla* exercuit, quo in loco anno 1854, una cum aliis sacerdotibus quibusdam, sodalicium, vel Confraternitatem condidit Beatae Virginis Condolentis simul ad caritatem erga proximos fovendam et vulgus catechesi erudiendum. Deinde vero in paroeciam sibi commissam Sancti Erasmi in civitate S. Maria Capua Vetere se conferre iussus est. Adolescebat interea homo spiritualis et, in dies magis velut lineis certis delineatus, in oratione ardebat, tenera devotione Mariam Virginem diligebat, ex imo corde SS. Eucharistiam adorabat et contemplabatur, studium erga proximos caritatis numquam intermittebat, perfectam denique christianae vitae staturam consectabatur, in omnibus semper Dominum Crucifixum uti exemplar et doctorem sibi proponens. Servus Dei a puero se disciplinae, studii, meditationis ostenderat amantissimum. Quas virtutes, sacerdos factus, impensius etiam coluit, illud sibi praestituens, ut similior in dies Christo fieret Sacerdoti, magnanimis quoque hominibus adiutus, quorum in numero praeter Sanctum Caietanum Erricum, quem superius vocavimus, Sancta Catharina Volpicelli, Sancta Iulia Salzano, Beatus Bartholus Longo, Beata Rosa Gattorno fuerunt. Quibus accedit, quod is patre spirituali Beato Ludovico de Casaurea usus est. In virtutibus vero Servi Dei huius caritas adeo eminet fulgidissima, ut ipsius in egenos liberalitas humilitati sine exemplo coniuncta velut in proverbium exierit. In solacium autem animarum in Purgatorio expiantium suffragia, amantissimo studio incitatus, offerre consuererat. Ille vero, cui merito nomen inditum est viri «contemplativi in actione», cum animarum salutis cupidissimo ardesceret desiderio, sicut singulari deditione numquam destitit operibus a se conditis adesse, ita assidue reconciliationis sacramentum administrare, contiones populo habere, fideles omnes hortari ut solis bonis consiliis uterentur. Tandem confugientes optatissime excipere semper cordi habuit.

Eo tamen temporum tractu, cum Italia sub unius regis imperio usque ad annum 1861 cogeretur, hominum societas interea trepidationibus graviter concutiebatur ac velut vulneribus videbatur discindi. Quamobrem, Servus Dei, qui Italiae unius adsertoribus adversabatur, maxime ob ipsorum in Ecclesiam odium quodammodo manifestum, biennio in carcere custodiri passus est (1864-1866). Adversis tamen rebus, cruciatus orationis spiritum et apostolatum Donati cum extenuare non potuissent, magis etiam acuerunt et in ipso carcere detrusus fructus edidit eximios, siquidem illic Beatum Ludovicum de Casaurea cognovit, quem semper habuit christianae caritatis exemplar.

Anno igitur 1869 in pago natali condidit Servus Dei orphanotrophium solis maribus dicatum; paucis autem post annis egenas puellas ac derelictas colligere atque hospitio recipere coepit apud se in quibusdam aedibus, quas in civitate S. Maria Capua Vetere habebat, unde velut e primis cunabulis originem aliquanto post duxit Institutum Sororum Ancillarum a Maria Immaculata, ab ipso Donato anno 1906 conditum.

Tum vita tum scripta Servi Dei indicant non obscure fuisse illum sacerdotem aeque Dominici Verbi peramantem ac meditationi super mysteriis vitae Christi intentissimum. Egregia enim semper animi devotione eucharisticum Sacrificium celebrare consueverat, eximia tamen pietate in Virginem Beatissimam ceterosque Sanctos. Praeclara denique prudentia ornatus, homines ut auscultare ita etiam bonis consiliis iuvare didicerat, et, in omnibus adiunctis constanti fortitudine fultus, magnae virtutis imaginem in aerumnis et tribulationibus tradidit atque consilia evangelica laudabilissimo genere vitae praestitit.

Cum instituta caritatis ab ipso condita pedetemptim crescerent et consolidarentur, interim valetudo eius, qui variis cruciatibus temptatus fuerat, celeriter extenuari coepta erat, quamobrem necesse fuit, ambo Instituta ab ipso condita Fratribus *Bigis* a Beato Ludovico de Casaurea fundatis committere, quorum in communitatem Donatus ipse recedere debuit.

Die vero 26 mensis Februarii anno 1914, in civitate Sancta Maria Capua Vetere, populo diligentissimo redimitus, pio transitu in Domino requievit.

Ob famam sanctitatis, qua perinde vivus atque multo magis post obitum gaudere consueverat, a die 26 mensis Iunii anno 1996 usque ad diem 19 mensis Aprilis anno 1997 apud Curiam ecclesiasticam Capuanam peracta est Inquisitio dioecesana, quam esse validam agnovit haec Congregatio de Causis Sanctorum per Decretum die 14 mensis Maii anno 1999 latum. Die 17 mensis Februarii anno 2009 Congressus Consultorum Historicorum congregatus pronuntiavit et confirmavit esse probationes exhaustivas, esse documenta ex archivo fide digna, virtutes denique fundamento pollere. Die 30 mensis Novembris anno 2010 feliciter peractus est congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 15 Novembris anno 2011 habita, post lectam relationem a Ponente, Exc.mo Marcello Semeraro, Episcopo Albanensi, agnoverunt a Servo Dei et theologales et cardinales iisque adnexas virtutes ad gradum heroicum exercitas esse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Donati Giannotti, Sacerdotis dioecesani et Fundatoris Congregationis Sororum Ancillarum ab Immaculata, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTI PAULI IN BRASILIA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Assumptae Marchetti, Confundatricis Congregationis Sororum Missionariarum a Sancto Carolo (1871-1948)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« In operibus suis Deus instrumentis ineptissimis, invalidissimis utitur. Omnem fiduciam meam summa in eius Cordis suavitate collocavi ».

Verba haec, quae ex prima epistula Servae Dei Assumptae Marchetti nuper Superiorissae Generalis electae ad Sorores Missionarias a Sancto Carolo trahuntur, testimonium vitae mulieris cuiusdam austerae simul et mitis, humana aequitate atque humilitate praesertim et caritate suffultae, perstringunt.

Haec Serva Dei in vico *Lombricio* ad Campum Maiorem prope Lucam die 15 mensis Augusti anno 1871 e modesta familia nata est, tertia ex undecim filiis. Postridie ortus, ad baptismalem fontem ecclesiae collegiatae Campi Maioris ducta est. Iam inde a pueritia vividi ingenii dote praeditam se ostendit, sed cum matri esset ipsi suppeditandum, modo parumper scholam frequentare potuit. Vicesimum circiter aetatis agens annum, desiderium sese consecrandi apud clausurae monasterium pandit, quod vero graves ob familiae suae aerumnas aliquod tempus distulit.

Illis annis frater eius, missionarius Scalabrinianus, Pater scilicet Iosephus, nunc Servus Dei, ut in Brasiliam peteret, eidem proposuit, Sororum necessitudinis causa, quae orphanis ab ipso e viis recollectis providerent. Una cum matre, itaque, quae interdum viro amisso viduata erat, Assumpta ad Novum Mundum illum transiit. Etenim, in capella Episcopii Placentini die 25 mensis Octobris anno 1895 mulieres ambae, cum aliis duabus sociis, vota religiosa coram Episcopo loci, beato Ioanne Baptista Scalabrini, emiserunt et biduo post Ianua ad oram Brasiliae navi evectae sunt.

Primis annis vitae Paulopoli Serva Dei, licet proprio titulo careret, revera muneribus Superiorissae functa est, innumera suscipiens officia, quae post praematuram mortem fratris et reditum matris in Italia protinus auxerunt. Mense Septembris anno 1900, tamen, adventus sex Sororum Apostolarum a Sacro Corde apud asylum pro orphanis curandis ingentem attulit novitatis fervorem parvula in illa Ancillarum Orphanorum et Derelictorum Peregri-

nantium communitate, sub quo nomine Sorores Missionariae Scalabrinianae primum nuncupabantur. Pluribus autem ambagibus angustiisque consummatis, quae animum Servae Dei humiliationibus ac poenis vehementer dilaceraverunt, duae communitates ortae sunt alterutri insubiectae, utraque plena cum canonica legitimitate.

In his novissimis postremisque rebus, Mater Assumpta Superiorissa Generalis ad sexennium nominata est, quo tempore Institutum augmenta admodum inivit. In huius mandati fine Serva Dei veram suam aggressa est navitatem missionariam: ad australes Brasiliae regiones missa apud communitates Novae Brixiae et Novae Vincentiae, dein in Statu Sancti Pauli, paulisper Iundiaiam ac demum ad Montem Altum apud Domum Misericordiae pro pauperibus infirmis ministrandis, omnibus in his locis constantissima cum suipsius oblatione in egentissimorum fratrum servitium viribus et animo incubuit.

Indefessa eius actuositas in profunditate vitae interioris radicabatur. Cursus vitae eius voluntatis Dei investigationis emicuit assiduitate atque heroico exercitio virtutum. Licet continuis laboribus ac morbis fatigata, numquam orationem, eucharisticam et marialem devotionem ac silentium contemplationis neglexit, quae omnia intimam animi eius cum Domino communionem et firmam in divina Providentia fiduciam foverunt. Omnino suipsius oblita, Mater Assumpta genuina cum simplicitate ad maiorem Dei gloriam et fratrum salutem omnia vertebat: lucidissima, enim, caritas ex corde eius manabat et, omnes in eos quicumque ipsi essent obvii, humiliter ac suaviter exundabat, praesertim in orphanos, in familias angustiis valde obtritas et infirmos, qui omnis eius sollicitudinis fons erant et culmen.

Anno 1927, variis intra Institutum superatis incommodis, Serva Dei Superiorissa Generalis iterum electa est usque ad ver anni 1935, cum sese, Instituti et Constitutionum recognitione adepta pontificia, ad novam migrationem paravit. Nam, die 30 mensis Iunii eiusdem anni ad communitatem Mirasolensem prope Paulopolim, aliam apud Domum Misericordiae, profecta est, ubi duodecim annos commorata est. Interdum autem laborum morborumque poenae adeo molestiis ingravabant dies, ut in supremis his temporibus vitae in Domum Generalem Paulopolitanam se recipere probaret. Pluries in nosocomium recepta, valetudo eius vero paulatim decidit. Die 1 mensis Iulii anno 1948 pie obiit. Numquam repetita patria, quinquaginta tres annos in Brasilia vixerat.

Ob eius sanctitatis famam, Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Sancti Pauli in Brasilia inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 12 mensis Iunii anno 1987 ad diem 25 mensis Octobris anno 1991, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 10 mensis Martii anno 1992 probatae sunt. *Positione* confecta, die 10 mensis Septembris anno 2010 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 18 mensis Octobris anno 2011, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Raphaëlis Martinelli, Episcopi Tusculani, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Assumptae Marchetti, Confundatricis Congregationis Missionariarum a Sancto Carolo, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTI NICOLAI DE LOS ARROYOS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Crescentiae Pérez (in saec.: Mariae Angelicae), Religiosae professae Congregationis Filiarum Mariae Ss.mae ab Horto (1897-1932)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Crescentia Pérez die 17 mensis Augusti anno 1897 in oppido Sancti Martini, prope Bonaëropolim, in Argentina, nata est. Cum autem ad fontem lavacri salutaris rite adduceretur, nomina ei Maria Angelica imposita sunt. Puella itavit in Institutum Filiarum SS.mae Mariae ab Horto (seu *Gianelline*), quod Hispanico sermone « Hogar de Jesús » appellant, in loco vulgo dicto *Pergamino*; ibique, cum ad religionem amplexandam sese divino quodam instinctu vocatam agnosceret, sumpto habitu Congregationis, sibi Sororis Mariae Crescentiae nomen indidit, eademque postea perpetua quoque votorum formula se Deo mancipavit. Cum autem in maritimum valetudinarium, « Solarium » nuncupatum, in loco, quem Argentini vulgo *Mar del Plata* nominant, esset destinata, phthisicas puellas curavit easque ad Eucharisticum convivium primum accessuras rite instruxit. Anno autem 1928 missa est in oppidum, quod vulgo *Vallenar* appellant, in Chilia septentrionali, ubi consequentibus annis, donec pro infirma valetudine licuit, humillimis necessitatibus, cum omnium tum valetudinarii, quod in eadem regione erat, numquam intermissa opera, praesens auxilium tulit. Ceterum haec mulier, dum suis muneribus fungitur, unum illud propositum habuit divino numini penitus obsequi; namque, quod gravius in dies aegrotaret, id propter Dominum accepit, eademque, dum haec patitur, tam magno documento omnibus fuit tantaque in omnes comitate usa est, ut usque ad hodiernum diem « Sor Dulzura » Hispanico sermone (id est Latine « Soror Dulcedo ») cognomento amantissime celebretur. Pie in Domino obdormivit die 20 mensis Maii, anno 1932, in oppido *Vallenar*. Quam Dei Famulam Ioannes Paulus II Pontifex Maximus theologales et cardinales iisque adnexas virtutes, heroicum in modum, exercuisse declaravit per Decretum die 22 mensis Iunii anno 2004, latum.

Postulatio autem Causae, cum esset iam in prospectu beatificationis eius, mirum quoddam, quod divinitus, eadem deprecante, Bonaëropoli patratum ferebatur, huic Congregationi de Causis Sanctorum proposuit iudicandum.

Agitur enim de celeri, perfecta stabilique sanatione dominae Mariae Sarae Pane, viginti quinque annorum mulieris, Argentinae, quae, cum inde ab anno aetatis undecimo mellito, qui fertur, diabeta, eoque ab insulino dependenti, laboraret, mense Martio anno 1997 iecoralem morbum acutum contraxerat, qui ita praepropere crudescere coepit ut timeretur ne non posset eadem mulier vita superare.

In tanto rerum discrimine Moderatrix Filiarum Mariae SS.mae ab Horto, quae in eodem valetudinario, in quod Maria Sara deducta erat, infirmos curabant, illis solacium praebentes, infirmae parvam effigiem Venerabilis Servae Dei una cum eiusdem reliquiis tradidit; cuius deinceps intercessionem, multiplici ferventique supplicatione, ceterae sorores et sacerdos in eodem valetudinario religioni fovendae praepositus multique alii, in quibus ipsa mulier eiusque parentes, invocarunt. Itaque in ipsa summa crisi, die 2 mensis Aprilis anno 1997, dum Maria Sara iecinoris transplantationem exspectat, quae una curationis optio ad vitam servandam habebatur, omnia repente, inexplicabili quadam ratione, in melius mutata sunt, adeo ut infirma intra quartum diem ex morbo evaderet.

Constat enim concursum temporis et contextum esse inter supplicationes, quibus Venerabilis Serva Dei invocata est, et sanitatem restitutam mulieri, quae postea non optima dumtaxat valetudine usa est, sed iustam, praesertim quoad aliorum commercium attinet, vitam degere potuit.

De hac igitur re, quae mirum divinitus patratum visa est, in Archiepiscopali Curia Bonaërensi, ab anno 1999 ad annum 2000, Inquisitio dioecesana est instructa; cuius vim Congregatio haec ratam habuit per decretum die 16 mensis Novembris anno 2001 latum. Consilium vero Medicorum, quod apud idem Dicasterium habetur, die 28 mensis Octobris anno 2010, cum sederet, cunctis suffragiis agnovit sanationem, de qua agitur, ex huiusce temporis artis cognitionibus minus explicari posse. Die denique 21 mensis Maii vertente anno 2011, Theologi Consultores in Peculiarem, qui dicitur, convenere Congressum. Quorum quidem favorabilem sententiam Purpurati Patres et Antistites, die 8 mensis Novembris vertente anno 2011, in Sessione Ordinaria congregati, Exc.mo D.no Salvatore Fisichella, Archiepiscopo tit. Vicohabentino, Causae Ponente, confirmarunt.

Facta postmodum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Beatissimus Pater, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato*

per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae Crescentiae Pérez (in saec.: Mariae Angelicae), Religiosae Professae Congregationis Filiarum Mariae SS.mae ab Horto, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione dominae Mariae Sarae Pane a « epatite acuta di tipo A complicata da grave insufficienza d'organo in paziente con diabete mellito insulino-dipendente ».

Mandavit insuper Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret atque in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TUSCULANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Aloisii Novarese, Sacerdotis dioecesani Fundatoris Piae Unionis Silentium Operariorum a Cruce (1914-1984)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Dei Servus Aloisius Novarese die 29 mensis Iulii, anno 1914, Casali, in regione Alexandriae Statiellorum, in Italia, natus est. Decimo aetatis anno dexterae coxae phthisi in capitis periculum adductus est; qua quidem infirmitate monente, praecipuam in aegros ac laborantes pietatem excoluit. Cum autem, anno 1931, de improviso convaluisset, statuit hic Dei Famulus ad sacerdotium contendere, ad quod ipse iam pridem divino quodam instinctu se vocatum agnoverat. Itaque die 17 mensis Decembris, anno 1938, ad sacrum presbyteratus ordinem ascendit; deinde in Secretaria Status seu Summi Pontificis compluribus muneribus functus est. Interea multa ipse pro infirmis incepta movebat, quae labentibus annis vere instituta fierent, quibus nomina « Marialis Sacerdotum Societas », « Voluntarii Doloris », « Silen-

tes Operarii a Cruce», «Aegrotorum Fratres». Insuper hic vir, ut erat multa opera multaque industria, ipseque summa pietate semper innixus, sacras exercitationes suscipere omnibus suasit; deinde vero, ab anno 1962 ad annum 1977, pastoralis infirmorum curae in Italia gerendae praefectus est; praeterea sacerdotum atque infirmorum congressus instruxit; postremo duarum ephemeridum idemque radiophonicarum recitationum auctor fuit. Pie in Domino obdormivit die 20 mensis Iulii, anno 1984, in oppido, quod vulgo *Rocca Priora* appellant, haud longe ab Urbe. Quem Dei Famulum Ioannes Paulus II Pontifex Maximus theologales et cardinales iisque adnexas virtutes, heroum in modum, exercuisse declaravit per Decretum die 26 mensis Novembris, anno 2004, latum.

Postulatio autem Causae, cum esset iam in prospectu beatificationis eius, sanationem quandam, quae divinitus, eodem deprecatore, patrata ferebatur, Congregationi de Causis Sanctorum proposuit expendendam. Quod quidem factum est die 15 mensis Iulii, anno 2002, intra fines Archidioecesis Vercellensis, in Italia, dominae Gratillae Paderno, quae e periarthritide scapulumerali perfecte convaluit. Mulier enim ex laevo umero acerrime laborabat, quippe cui brachium prae localibus calcii depositionibus imbecillitate functionali afficeretur. Eapropter infirma, multis auditis medicorum consiliis, summa fide ad Venerabilem Dei Famulum se convertit, cum tamen acres doloris morsus haud remitterent. Ceterum res tanti momenti erat, ut sectio chirurgica, Novariae, in Valetudinario Maiore, facienda, infirmae proponeretur; quam vero eadem iam susceptura erat, cum ex alia medicorum investigatione, per magneticam sonorum repercussionem atque per tomographiam computatoriam, apparuit osseam calcificationem ex improviso dilapsam esse. Constat enim inter supplicationes, quibus Venerabilis Dei Servus imploratus est, et sanationem infirmae concursum temporis et contextum esse.

De hac igitur re, quae mirum divinitus patratum visa est, in Curia Vercellensi, a die 22 mensis Iunii, anno 2007, ad diem 8 mensis Ianuarii, anno 2008, Inquisitio dioecesana est instructa; cuius vim Congregatio haec ratam habuit per Decretum die 13 mensis Iunii, anno 2008, latum. Deinde acta, quae ex Inquisitione dioecesana huc pervenerant, ad Consilium Medicorum, quod apud hoc Dicasterium habetur, delata sunt; quod quidem Consilium, die 13 mensis Ianuarii, vertente anno 2011, cum sederet, specie attente perpensa, agnovit infirmam graviter aegrotasse declaravitque sanationem, de qua agitur, ex artis cognitionibus minus explicari posse. Die denique 7 mensis Iunii, vertente anno 2011, habitus est, felici quidem cum exitu, Congressus

Peculiaris Consultorum Theologorum. Postremo, die 15 mensis Novembris, vertente anno 2011, Purpurati Patres et Antistites, Em.mo D.no Angelo Card. Comastri, Causae Ponente, in Sessionem Ordinariam convenerunt. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta postmodum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Beatissimus Pater, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Aloisii Novarese, Sacerdotis dioecesani, Fundatoris Piae Unionis Silentium Operariorum a Cruce, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione dominae Gratillae Paderno a « sindrome da intrappolamento della cuffia dei rotatori della spalla sinistra con borsite calcifica e grave impotenza funzionale con intenso dolore ».*

Mandavit insuper Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret atque in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

MACKENZIENSIS-ARCIS SMITH ET SANCTI PAULI IN ALBERTA

De finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possint et Episcopi munus suum efficaciter explere valeant, Exc.mi PP. DD. Murray Chatlain, Episcopus Mackenziensis-Arcis Smith, et Iosephus Lucas Bouchard, Episcopus Emeritus Sancti Pauli in Alberta, ab Apostolica Sede enixe expostulaverunt ut circumscriptionum ecclesiasticarum sibi concreditarum fines aliquantulum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Petri López Quintana, Archiepiscopi titulo Acropolitano et in Canada Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Benedicto, Divina Providentia PP. XVI, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit. Quapropter, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, consentiente Congregatione pro Gentium Evangelizatione, a dioecesi Mackenziensi-Arcis Smith integrum territorium Missionis vulgo nuncupatae «Fort Chipewyan», distrahatur idque dioecesi Sancti Pauli in Alberta adiungatur, mutatis, hac ratione, utriusque ecclesiasticae circumscriptionis finibus.

Mandat insuper ut documenta et acta praefatum territorium bona temporalia respicientia, a Curia Mackenziensi-Arcis Smith ad curiam Sancti Pauli in Alberta tradantur.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum P. D. Petrum López Quintana, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet

virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 2 mensis Aprilis anno 2012.

Marcus S.R.E. Card. Ouellet
Praefectus

✠ Laurentius Baldisseri
Archiep. tit. Diocletianensis
a Secretis

Prot. N. 958/2011

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 4 Decembris 2012. — Titulari episcopali Ecclesiae Montensi in Mauretania, R. D. Albertum Germanum Bochatey, O.S.A., hactenus Collegii Sanctae Monicae Romae Rectorem, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Platensis.

die 6 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Ratisbonensi, R. D. Rudolfum Voderholzer, e clero Monacensi et Frisingensi, hactenus in Facultate Theologica Trevirensi professorem, Instituti « Papae Benedicti XVI » in civitate Ratisbonensi moderatorem atque in cura pastorali paroeciae Sancti Nicolai in pago vulgo Kasel cooperatorem.

die 7 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Urbis Salviae, R. D. Georgium Gänswein, e clero archidioecesis Friburgensis, Pontificalis Domus Praefectum, quem archiepiscopali dignitate ornavit.

die 12 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Manaënsi, Exc.mum P. D. Sergium Eduardum Castriani, hactenus Episcopum Praelatum Tefensem.

die 15 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Aeclanensi, R. D. Nicolaum Henricum Mariam Thevenin, e clero archidioecesis Ianuensis, Nuntium Apostolicum, quem archiepiscopali dignitate ornavit.

die 22 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Leonensi, Exc.mum P. D. Alfonsum Cortés Contreras, hactenus Episcopum Cuernavacensem.

die 3 Ianuarii 2013. — Cathedrali Ecclesiae Principis Georgensis, R. D. Stephanum Jensen, e clero archidioecesis Vancuveriensis, ibique Vicarium Generalem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Lambaesitanae, R. D. Davidem P. Talley, e clero archidioecesis Atlantensis, ibique hactenus Curionem paroeciae Sanctae Brigidae in oppido vulgo Johns Creek, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

I. PROVISIO ECCLESIARUM

Benedictus divina Providentia PP. XVI, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 31 Octobris 2012. — Cathedrali Ecclesiae Ihansiensi, R. D. Petrum Parapullil, hactenus Vicarium Generalem eiusdem dioecesis.

die 3 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Aimerensi, R. D. Pium Thomam D'Souza, hactenus Cancellarium dioecesis Bareillensis.

die 21 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Madraspolitanae-Meliaporiensi, Exc.mum P. D. Georgium Antonysamy, hactenus Episcopum titularem Sulcitanum et Nuntium Apostolicum in Liberia, Gambia et Monte Leonino.

die 30 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Delhiensi, Exc.mum P. D. Anil Iosephum Thomam Couto, hactenus Episcopum Iullundurensem.

— Cathedrali Ecclesiae Khuntiensi, Exc.mum P. D. Binay Kandulna, hactenus Episcopum titularem Auzegerensem et Auxiliarem archidioecesis Ranchiensis.

die 6 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Kivotinae-Passitanae, Exc.mum P. D. Murray Chatlin, hactenus Episcopum Mackenziensem-Arcis Smith.

die 7 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Ahiarianae, R. D. Petrum Ebere Okpaleke, e clero dioecesis Avkaënsis, hactenus Iudicem Tribunalis Interdioecesani Provinciae Ecclesiasticae Onitshanae.

die 7 Decembris 2012. — R. D. Adelium Dell'Oro, e clero archidioecesis Mediolanensis, quem constituit titularem Episcopum Castulonensem et Administratorem Apostolicum Atirauensem.

die 19 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Suvanae, R. D. Petrum Loy Chong, e clero Suvano, hactenus curricula frequentantem apud Studiorum Universitatem Sanctae Clarae in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis.

die 21 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Udaipurensi, Exc.mum P. D. Devprasad Ioannem Gabanava, S.V.D., hactenus Episcopum dioecesis Jhabuensis.

die 22 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Dundensi, R. D. Stanislaum Marques Chindekasse, S.V.D., iam Consiliarium Generalem Societatis Verbi Divini.

die 24 Decembris. — Episcopum coadiutorem Buichuensem, Exc.mum P. D. Thomam Vu Dinh Hieu, hactenus Episcopum titularem Bahannensem et Auxiliarem dioecesis Xuanlocensis.

die 29 Decembris. — Archiepiscopum coadiutorem Singaporensem, R. D. Villelmum Goh, hactenus Seminarii Maioris archidioecesis Singaporensis Rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Gbokensi, noviter conditae, Exc.mum P. D. Villelmum Avenya, hactenus Episcopum titularem Thuccensem in Mauretania et Auxiliarem dioecesis Makurdensis.

— Cathedrali Ecclesiae Katsinensi-Alensi, noviter conditae, R. D. Petrum Iomzuul Adoboh, e clero Makurdensi, in urbe vulgo Adikpo Curionem et decanum.

II. NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 7 Octobris 2012. — Exc.mum P. D. Iudam Thaddaeum Ruwa'ichi, O.F.M., Archiepiscopum Mvanzaënsem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Shinyangaënsis.

die 15 Octobris — Exc.mum P. D. Henricum D'Souza, Episcopum Bellaryensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Shimogaënsis.

die 22 Octobris — R. D. Ioannem Benedictum Gnambode, C.I.M., Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Portus Novi.

die 27 Octobris — R. D. Ferdinandum Domingos Costa, C.P., Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Pembanae.

die 6 Decembris — Exc.mum P. D. Murray Chatlain, Archiepiscopum Kivotinum-Passitanum, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Mackenziensis-Arcis Smith.

die 21 Decembris — Exc.mum P. D. Devprasad Ioannem Ganava, S.V.D., Episcopum Udaipurensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Jhabuensis.

— R. D. Marium Rodrigues, e clero Karachiensi, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Multanensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 13 dicembre, S. E. il Sig. IBRAHIMA SORY SOW, Ambasciatore di Guinea; S. E. il Sig. WAFIC RIDA SAÏD, Ambasciatore di San Vincenzo e Grenadine; S. E. la Sig.ra AMINATOU BATOURÉ GAOH, Ambasciatore del Niger; S. E. il Signor BIZWAYO NEWTON NKUNIKA, Ambasciatore di Zambia; S. E. il Sig. CHALERMPOL THANCHITT, Ambasciatore di Thailandia; S. E. il Sig. RAVINATHA PANDUKABHAYA ARYASINHA, Ambasciatore dello Sri Lanka.

Il Romano Pontefice ha altresì ricevuto in Udienza:

Lunedì, 17 dicembre, S. E. il Signor MAHMOUD ABBAS "ABU MAZEN", Presidente dell'Autorità Palestinese.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

11 dicembre 2012 S.E.R. Mons. Paul Richard Gallagher, Arcivescovo titolare di Hodelm, finora Nunzio Apostolico in Guatemala, *Nunzio Apostolico in Australia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

27 novembre 2012 Gli Em.mi Signori Cardinali: Francesco Coccopalmerio e James Michael Harvey; e gli Ecc.mi Mons.: Fabio Bernardo D'Onorio, Arcivescovo di Gaeta; Renato Boccardo, Arcivescovo di Spoleto-Norcia; Paolino Schiavon, Vescovo tit. di Trevi, Ausiliare di Roma, *Membri della Congregazione delle Cause dei Santi « ad quinquennium »*; e l'Ecc.mo Mons. Félix del Bianco Prieto, Arcivescovo tit. di Vannida, Elemosiniere emerito di Sua Santità, *Membro della medesima Congregazione delle Cause dei Santi « usque ad octogesimum annum aetatis eius ».*

11 dicembre » Gli Ecc.mi Mons.: Cyril Vasil', Arcivescovo tit. di Tolemaide di Libia, Segretario della Congregazione per le Chiese Orientali; Gianfranco Girotti, Vescovo tit. di Meta, Reggente emerito della Penitenzieria Apostolica; Enrico dal Covolo, Vescovo tit. di Eraclea, Rettore Magnifico della Pontificia Università Lateranense; e i Rev.di: Padre Klemens Stock, S.I.; Monsignor Fernando Ocáriz; Padre Kevin Flannery, S.I.; Aimable Musoni, S.D.B., *Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede « in aliud quinquennium ».*

» » » Gli Ill.mi Signori: Prof. Carlo Ebanista, Docente Associato di Archeologia Cristiana e Medievale presso la Facoltà di Scienze Umane e Sociali dell'Università del Molise e Docente di Antichità e Archeologia Medievali presso la Facoltà di Lettere e Filosofia dell'Università « Federico II » di Napoli; Prof. Emilio Marin, Docente Ordinario di Archeologia Romana presso l'Università di Split, Membro della Académie des Inscriptions et Belles Lettres - Institut de France, *Membri della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra « ad quinquennium ».*

15	dicembre	2012	Il Rev.do Mons. Nicolas Henry Marie Denis Thevenin, Consigliere di Nunziatura, affidandogli allo stesso tempo l'ufficio di Nunzio Apostolico, *Arcivescovo tit. di Eclano.*
18	»	»	L'Ecc.mo Mons. Nikola Eterović, Arcivescovo titolare di Cibale, Segretario Generale del Sínodo dei Vescovi, *Membro della Congregazione per i Vescovi « in aliud quinquennium ».*
22	»	»	Il Rev.do Sac. Robert W. Oliver, assistente per le questioni canoniche dell'Arcidiocesi di Boston (Stati Uniti d'America), *Promotore di Giustizia presso la Congregazione per la Dottrina della Fede.*
31	»	»	Il Rev.do Mons. Egidio Turnaturi e l'Ill.mo Dott. Riccardo Turrini Vita, *Giudici della Corte d'Appello dello Stato della Città del Vaticano « ad quinquennium ».*
1	gennaio	2013	Il Dott. Antonio Chiminello, finora Vice Direttore della Ragioneria dello Stato, *Direttore della medesima Direzione della Ragioneria dello Stato della Città del Vaticano « ad quinquennium ».*

NECROLOGIO

8	dicembre	2012	Mons. Ambrose Madtha, Arcivescovo tit. di Naisso, Nunzio Apostolico in Costa d'Avorio (*India*).
9	»	»	Mons. Ivan Ljavinec, Vescovo tit. Acalisso, Esarca Apostolico em. (*Repubblica Ceca*).
10	»	»	Mons. Jacques Jullien, Arcivescovo em. di Rennes (*Francia*).
11	»	»	Mons. Pedro Reginaldo Lira, Vescovo em. di San Francisco (*Argentina*).
»	»	»	Mons. Walter Sullivan, Vescovo em. di Richmond (*Stati Uniti d'America*).
12	»	»	Mons. Augustin Sagna, Vescovo em. di Ziguinchor (*Senegal*).
16	»	»	Mons. Giovanni Chen Shizhong, Vescovo di Yibin (*Cina*).
25	»	»	Mons. Edward T. Hughes, Vescovo em. di Metuchen (*Stati Uniti d'America*).
»	»	»	Mons. Rudolf Műller, Vescovo em. di Görlitz (*Germania*).
27	»	»	Mons. Maurice Delorme, Vescovo tit. Ottocio, già Ausiliare di Lyon (*Francia*).
»	»	»	Mons. Paul Malefetsane Khoarai, Vescovo em. di Leribe (*Lesotho*).
29	»	»	Mons. Ignacy Tokarczuk, Arcivescovo em. di Przemyśl dei Latini (*Polonia*).
1	gennaio	2013	Mons. Moses B. Anderson, Vescovo tit. di Vatarca, Ausiliare em. di Detroit (*Stati Uniti d'America*).